

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
FEBRE TERTIANA
EPIDEMICE GRASSANTE,

QVAM,

DIVINA ANNUENTE GRATIA,
EX DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN HAC PERANTIQUA ELECTORALI
HIERANA,

SUB PRÆSIDIO

SPECTABILISSIMI DOMINI DECANI,

DN.D. JOHANNIS ANDRÆ
FISCHERI,

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. COLLEG. MED. SENIO-
RIS, PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. PRIMAR. NEC NON MED.
PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

PATRONI, PROMOTORIS ATQVE HOSPITIS SUI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTET

RESPONDENS

JOH. GODOFREDUS Walter/

Hamburgensis,

DIE XV. JULII ANNI M DCC XXI.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,
HORIS CONSUVETIS.

ERFFORDIÆ,

Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr,

DISSERTATIO IN UNIVERSALIS MEDICINA

FEBRE TERTIANA
EPIDEMICE GRASSANTE

OPUS

DIVINA ANNUNTE GRATIA

EX DECRETO GRASSIORE FACULTATIS MEDICINAE
IN HAC UNIVERSITATE ELECTORALI
HIERONIMUS

SUB PRÆSIDI

SPECIABILISSIMI DOMINI DECANI

DN. D. JOHANNIS ANDREAE
FISCHERI

CONSILIARII FACULTATIS ELECTORALIS, MORGNI, COLLEGII MEDICINAE
PRAEFICIS, ET PRAEFICIS FACULTATIS MEDICINAE
UNIVERSITATIS ELECTORALIS HIERONIMUS

PATRONI, PROMOTORIS ET PATRONI HONORIS SUI COLLEGIUM

PRO LICENTIA

SUMMIS IN MEDICINA HONORIS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIA LEGITIME ADIACENDI
HABERE ACADEMIAM DISQUALIFICATIONIS

RESERVATA

JOH. GODOFR. EDUS

Hamburgensis

ANNO MDCCCLXXII
DIE XXIIII JUNII
IN AUDITORIIS MAIORI COLLEGII MAIORIS
HIERONIMUS

WILHELMUS

1772 GROSCHMANN'S, Acad. Typogr.



PROÆMIUM.



Nullus fere morborum corporis
humani machinam infestat, in
quo febris non sit comes à la-
tere, nunc strictè, nunc late
pro quavis phlogosi transito-
rià sumta: unde febres non
tantum frequentissimi & universalissimi mor-
bi dici solent, adeo ut veteres non sine empha-
si dicere nequaquam erubuerint; vis sine febre
mori? vel ut alius poeta hoc versu suum sen-
sum expresit:

*Vi moritur, quisquis moritur sine febre, nec illud
naturale genus dixeris esse necis.*

Eò quod ex febribus tertià pars hominum fati-
s concedit acerbis, sed etiam febres sunt morbi
communissimi, cum febris non sit privatæ ali-
cujus partis, sed una omnium corporis partium

intemperies. Febris, ut ut levis illa videtur morbus, ætænam tamen illa sæpe excitat incendium unâ cum terræ microcosmicæ motu, tremore & succussione, ad quod debitè extinguendum integræ medicamentorum ampullæ quandoque non sufficiunt. Febris præsertim pro nostro scopo tertiana intermittens subinde non patitur se terminis unius loci vel regionis endemicè includi, sed se quandoque epidemicè extendit ad varias regiones, in quibus integras etiam familias non sine suspitione contagii aggreditur, nulloque habito regionis vel ætatis, sexus vel conditionis respectu multos promiscuè affligit, infestat pauperum tabernas, regumque tures, & diversas nationes populosque impudenter depopulatur. Sic anno 1679. per nobilissimas Germaniæ provincias adeo frequens epidemicè grassabatur tertiana per latum terrarum districtum, ut & in novellis ejusdem tyrannidis mentio facta fuerit: similem serè scenam lusit hoc anno lues hæc epidemica præsertim in vere, cum ver aliàs saluberrimum sit secundum mystagogi nostri *Hippocratis Aph. 9. Sect. 3.* morbus tamen hic vernalis quovis

autumnali si non funestior, saltem solitò atrocior & molestior fuit, cum alioquin secundum verba poetæ:

Tempore vernali redeat calor osibus ipsis,

Hi tamen insultus febriles mitiorem & naturalem calorem intenderunt, & ita salutem hominum insultarunt, neque nunc insultare cessant, quæ lues mihi ansam dedit ejus originem & occultos, quibus agit, cuniculos investigandi, & consentiente gratiosâ Facultate Medicâ in cathedra inaugurali de hac febre epidemicè grassante verba faciendi, cui labori & publicæ defensionis supremus Archiater Divinâ suâ gratiâ assistat, ut omnia cedant in immortalem DEI gloriam & proximi emolumentum.

S. I.

Definitio onomatologica.

IN scholis more recepto præmitti solet onomatologia, & explicatio nominis originaria, ut deinde eruatur realis definitio, nomina enim sunt rerum involucria. Dicitur *Febris* vel à *fervore*, cum totam massam sanguineam fervere faciat, & partes solidas æsto præternaturali incalescere, vel à *fèritate* morbi, vel à verbo absoleto *februo*, quod innuit actum quasi purgatorium, eò quòd exantlato fervore febrili velut in

musto particulæ crassiores & sæculentiores ex massa
 sanguinea expurgentur; hinc febris multis non lethali-
 sis sed salutaris morbus audit, præsertim apud junio-
 res, quos febre superata videmus crescere & longè
 saniores esse, quam ante febrim. Græcè dicitur *μυσθός* *ἀνά*
τὸ πυρρὸν ab igne, quod naturam ignis æmuletur, & salu-
 tares corporis humores igne quasi Vesuviano exurat
 & exsiccat. Nominatur *intermittens*. cum non uti con-
 tinuæ sine intermissione & intercapedine affligat, sed
 temporis certi interventu per vices: redeat, continuus
 si quidem nulla intermissio, sed sola remissio paro-
 xysmi competit. Vocatur *tertiana*, eo quòd tertio
 quovis die redeat, inclusivè à die, quo incipit unus
 paroxysmus, de hinc tertio die redit alter. Dicitur
 denique *Epidemicè grassans*: hic lubet addere alios mor-
 bos in varias classes divisos. Morbi alii sunt *Pande-
 mii* sive *communes*, qui ejusdem speciei & eodem tem-
 pore in uno loco plures infestant. *Sporadici* sive *spar-
 si* speciei diversæ eodemque tempore grassantur, sed
 non universim multos, verum sparsim hunc vel il-
 lum invadunt, illi rursus sunt vel *endemii*, *patrii* vel
vernaculi, qui unam aliquam regionem vel locum sem-
 per tenent, ejusque incolæ propter communem ali-
 quam causam uti aërem, aquas, vel victus ratio-
 nem corripiunt, talis morbus est apud Alpinos
 & Tyrolenses Bronchocele, apud maris Baltici
 incolæ scorbutus, vel sunt Epidemii, medicorum
 flagellum, ab *ἴσθι* super & *δύσασ* populus, germanicè èine
Seuche / qui non semper sed certo tempore in unâ
 pluribusve regionibus grassantur, suntque vel *malignæ*
pesti.

pestilenciales venenati, qui cum periculo, & plures brevi processu interimunt, & *contagiosi* dicuntur, in quantum infectio transit ab uno in alium, vel *benigni mites* &c. malignitatis & venenositatis expertes, uti febres intermittentes communiter spectatæ. Hæc sufficiant quo ad Erymon secundum philologos, jam ad realia progrediendum.

S. II.

Definitio realis pragmatologica & ejus ratio formativa.

Nostri febris tertiana intermittens hoc anno epidemice grassans est motus sanguinis præter naturæ ordinem institutus ad organa se. & excretioni destinata solito auctior & intensior per statos paroxysmos alternis diebus rediens pluresque in pluribus regionibus cum quadam malignitate & contagio afficiens, cum pulsu celeri & inæquali, horrore vel frigore & calore intensiore, lipothymis, deliriis, maculisque interdum purpuram æmulantibus, ut & tensione spastica in regione lumbari circa connexionem mesenterii ad scapulas usque ascendente, in ordine ad eliminandum illud ex corpore humano, quod ejus structuram corrumpere potest.

In motu humorum per sua organa consistit unicum vitæ curriculum & tota nostra sanitas, qui si regularis est & ordinarius naturalis, si irregularis & auctior, præternaturalis audit: sine motu humorum cessaret se & excretio, quæ duo tamen summè necessaria sunt, ut sanguis heterogeneis & noxiis molecu-
lis

lis liberetur , & corporis partes in sua naturali stru-
 ctura conserventur , idcirco tot sunt organa se- & ex-
 cretioni apta in- & externa , ut natura se purgare pos-
 sit. In feбри itaque motum auget natura , ut noxium
 in corpore humano eliminetur : Hinc clarissimus An-
 glus *Sydenham* cum *Campanella* motum hunc febrilem
 vocat ipsius naturæ conamen & instrumentum , quo
 particulæ puræ ab impuris secernuntur , & cau-
 sa morbifica materialis excernitur, idque in ægri salu-
 tem. In feбри hac absoluto paroxysmo natura quiescit,
 dispostaque febrili materia feriat per unum alterum-
 ve diem, ut postea novo motu valentius excitato & lu-
 cta impetuosiore materiam febrilem aggrediatur ad
 expellendum : hinc etiam, quia natura non facit saltus,
 in principio non tantus calor & motus est, in quo ratio
 formalis febris consistit, quantus temporis succes-
 su erit in tertio vel quarto paroxysmo. Nec mihi op-
 ponas, febrim describi debuisse per motum imminu-
 tum, cum a frigore incipiat, ubi nullus motus au-
 ctus sed potius depressus ; huic respondetur, febrim
 definiri debere per motum auctum a potiori, cujus ef-
 fectus calor est : febrilem materiam ex corpore elimi-
 natam observavimus in hac feбри epidemica, quod largi-
 oris sudor cum euphoria corporis concluderit febris
 tragediam, & paroxysmi epilogum fecerit. Idcirco
 medicus rationalis ut in illud incumbat necesse fuit,
 quo modo materiam ad promptam secretionem & ex-
 peditam excretionem disponat : vidimus enim per
 repetita diaphoretica aliis antifebrilibus mixta, felicissi-
 me fuisse restitutos sine recidiva , quæ alias seque-
 batur

batur facillime, si cito sine evacuationibus præviis fuit
 sublata: sat cito si sat bene. Statos paroxysmos ha-
 bet & certas periodos, & in singulis periodis obser-
 vatur typus hoc est tempus & ordo intensionis & re-
 missionis, tota enim febris adæquate & totaliter sum-
 pta complectitur duas partes nempe *παροξυσμοί και περιεξιαί*
 exacerbationem & intermissionem: Ipse paroxysmus
 etiam sua tempora servat nempe principium, incre-
 mentum, statum & declinationem: sed ais, Sic erit
 febris morbus, & remedium morbi; quid ni? sed di-
 verso respectu: Motus hic febrilis est effectus princi-
 pii agentis & reagentis tam principii morborum activi
 quam naturæ seu principii moventis vitalis in corpo-
 re nostro. sic faber februm natura est seu principium
 vitale; materia febrilis agit in spiritibus nervorum &
 membranarum incolas, & pathemata febribus com-
 munita producit.

S. III.

Subjectum seu pars affecta febris.

Subjectum patiens seu participationis vel denomi-
 nationis ratione caloris ubique diffusi est tota corpo-
 ris humani compages, per quam febrilis calor dif-
 funditur: Subjectum inhæsionis & radicationis est
 massa sanguinea, in hac enim tanquam communi fe-
 brum nido stabulatur minera febrifuga immediata,
 quæ suo tempore dosi quasi completa evigilat, & ex
 sinistro cordis ventriculo citiori pulsu per arteria a-
 ortæ ramosos canales ad cunctas corporis partes pro-
 mumpit, materia febrilis matura naturam ad mo-
 tum

tum sanguinis præternaturalem exstimulat & calcaria addit: Subjectum fomitis, adeoque remotum ventriculus & primæ viæ sunt, hinc glandulæ intestinalium & mesenterii, vasa mesaraica, pancreas, hæc similiaque viscera lienis & hepatis serum vel lympham vel bilem vitiosam acidam & acrem secernentia, & ad ventriculum, intestina, cisternamque chyli derivantia a remotiori foco & loco non sunt rejicienda, hæ enim partes juxta *Fernelium* sunt quasi publica corporis sentina, in quam omnis confluit, cumulatque humorum colluvies, unde etiam in hoc affectu epidemice grassante cardialgia, nausea vel vomitus deducenda sunt. Hæc viscera horumque glandulæ & meatus obstrui facile possunt, partim ob viscositates & cruditates acidas acres in prima digestionem ob varios diætæ errores provenientes, partim ob vasorum angustias, præcipue in glandulis, ubi chylus & lymphæ transcolari debent, accedit, quod hypochondriaci & scorbutici, vel ventriculi debilitatem habentes, febribus sint obnoxii.

§. IV.

Causa efficiens.

Illud quod facit & dirigit tales motus vitales ad organa se- & excretoria est natura morborum medica, principium illud vitale, substantia fluidissima, tenuissima & elastica, vulgo spiritus: hoc principium vitale originaliter continetur in semine prolifico, reconditur in sanguine, & ab externo fluido ambiente aëreo animatur, & spirituosus postea alimentis

mentis sustentatur, hoc principium vitale omnis motus tam intestini quam progressivi causa immediata est. Hoc principium vitale illud agens est, quod in materiam febrilem tanquam patiens mediante motu velut instrumento se- & excretionis pro posse suo agit, hæc natura omnem lapidem movet, ut motu citiori febriles moleculas promovendo ad extra amoveat, & corpus organicum in sua perfecta structura absque labe conservet. Motus ille causa instrumentalis est, qua calor excitatur (omnis enim calor à motu est) & calore excitato latens febrile miasma discontinuatur & resolvitur, rarefit & expanditur, sicque ad discussionem adaptatur & ita adaptata ad corporis peripheriam per criticum & salutarem sudorem provehitur continuo sanguinis motu, vel ad primas vias precipitatur vomitu aut secessu, concurrente cum primis cacochylia, eliminandum. Hic quoque motus secundum proportionem materiæ movendæ mechanicam à movente & agente intenditur, quæ tam diu durat, donec materia febrilis in die intermissionis collecta penitus in paroxysmo exantlatæ sit displosa, & tunc febris incipit remittere, quod facile probatur ex praxi, quæ justa & laudabili methodo medendi vult, ut ad intentionem naturæ assequendam dentur evacuantiæ, hoc est purgantia, vomitoria & diaphoretica resolventibus mixta.

Causa materialis febris tertianæ intermit-
tentis.

Causa materialis, quam natura motibus se-
 & excretoriis solito auctioribus aggreditur, est
 omne illud, quod partes corporis corruptibilis
 in putredinolam, ad quam ratione mixtionis in-
 clinat, corruptelam potest deducere. Sicut particulae
 heterogeneae acidae viscidae, crassae tenaces, ex econo-
 mia corporis vel per insensibilem transpirationem, vel
 sensibilem odorem, madorem, vel actualem etiam su-
 dorem, ex corpore excretae a plurimis affectibus
 nos immunes conservant; ita illae particulae acidae p.
 n. viscidiores, vitio lymphae menstrualis in ventricu-
 lo, intestinis alibique locorum collectae & stagnantes,
 vel biliosae p. n. viscidiores retentae morbosam praebent
 materiam, multis affectibus etiam febrilibus
 aperiunt portam: Haec materia febrilis hinc inde
 latefcens, missio variorum doctorum circa hoc
 divortio, temporis successu in quantitate debita &
 dosi instituendo motui proportionata satis instructa
 ansam dat naturae, eamque arietat, ut potentia sua
 motiva & operativa motus febriles excitet ad particu-
 las has heterogeneas machinae humanae inimicas
 tanquam mineram febrilem ex latibulis suis excutien-
 das, quod unice fieri potest beneficio motus, quo il-
 la materia morbosa toti massa sanguineae communi-
 catur. Ex hoc mali fomite quo ad portionem exiguo
 fit gigas febrilis incendii, in cuius, utpote causae ma-
 terialis extinctione, occupatus sit medicus naturae mi-
 nister, & auxiliatrices debet praebere manus, sic sublata
 causa, actutum tollitur effectus.

S. VI.

Causæ remotæ & mediatae occasionales.

Ingens systema causarum procatharticarum remotarum scriptores pathologi suppeditant, mihi sufficit, omnes illas concausas esse remotas, quæ dictam febrilem materiam quovis modo augent vel producunt. Cum vero causarum remotarum sit amplissimus campus, eas dispescemus in tales, quæ ex rebus naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus derivari possunt. *Causis itaque remotis & dispositivis* & ad faciliorem receptivitatem adaptatis annumeratur *ætas juvenilis & adolescentia*, quæ ob humores calidiores & diætæ errores huic obnoxia morbo. *Temperamentum cholericum* ad hanc formam febrilem recipendam maximè disponit, à bile enim viscida acri fere omnnesoriuntur febres ob particulas sulphureo oleosas ad turbandum ordinarium sanguinis motum facile aptas nec inde excludimus *Phlegmaticum* ob particulas viscosas & pituitosas, quæ varias in corpore stases & consecuturas putredinosas moleculas causare possunt. Quo ad *Sexum*, nullus hic est privilegiatus sed quilibet tributarius. *Causæ remotiores seu occasionales* formant errores in diætâ seu sex rebus non naturalibus, quæ occasiones februm sunt, si male se habeant, vel perperam usurpentur.

Aer præsertim frigidior crassus nebulosus, transpirationem impediens, unde vapores uliginosi retenti materiam febrilem præparant, ab athmosphæra, quâ sumus cincti, sanguinis tenuitas & mixtio, motusque pluri-

plurimum dependet, ita ut ab eadem facile turbetur, si qualitatum immoderatione peccet, siue sit nimis calida hoc est æthere subtili copiosiore, vel aliis particulis salino volatilibus, uti tempore verno & æstivo, referta, hæc inspiratâ & ambiens vi suâ elasticâ & expansivâ sanguinem attenuat. ejusque circulum accellerat : vel frigida & humida, pluviis vel aliis etiam effluviis turgida & inquinata, quibus pori occluduntur & constringuntur, humores incrassantur & condensantur, inde enim potissimum febres epidemicæ, vere autumnoque grassantes, proveniunt, quatenus tunc aër calidus & humidus, ut vere, humores movet, eosque fluidos reddens, rursus frigidus liberam transpirationem impedit, & materiam inspissat. aëris proinde inæqualitati, ubi eodem die, quasi febrili, quo modo frigus erat, itidem calor est, febris natales debet. Sic ob anni tempus autumnale oriuntur frequentissimè febres quartanæ, qualis epidemicè grassabatur anno 1616. in tota Germania, ita, ut vix ulla domus fuerit, in qua non decubuit unus & alter febricitans ; nostra itidem febris tertiana epidemicè grassans quam plurimum debet verno tempori hoc anno heteroclitico & tot mutationibus frigoris & caloris subjecto. Quin & soli climatisque constitutio huc multum facit, quâ ratione oris maritimis affectus iste frequens valde esse solet, hinc etiam sæpius in febribus istis id per mutationes aëris efficimus, quod exquisitissimis etiam remediis obtinere non potuimus ; adeoque aër variis effluviis & exhalationibus refertus solet plerumque pro febribus istis seminium
spar-

spargere, cui eradicando tota impenditur medicina.
Alimenta *δυσχυσία ἢ δυσπεπτία*, item improporcionatâ quantitate & qualitate assumpta ut & succi pejoris & cruditatis acido viscidæ, & facîle acescentia, unde crudus fabricatur chylus, ex hoc cruditates nidorosæ vel pituitosæ, & ex his obstructiones, ex schola Salernitanâ veteres vituperarunt crustam hoc modo. Non comedas crustam, choleram quia gignit adustam: Econtra laudabant leporem hoc versu ex *Martiali lib. 13.* inter quadrupedes gloria prima lepus. *Motu* augetur calor, per vehementem corporis motionem partes spirituosæ volatiles avolant, tam per sudorem quam per insensibilem transpirationem absumuntur, relictis crassioribus & viscosis, spiritus & humores depauperantur. Nimiâ *quiete* corpus redditur cacochymicum, & ita facili negotio ex otio febres producentur. Pari ratione peccare & hunc affectum causare possunt *somnus & vigiliæ, excreta & retenta*, si se debito modo non habeant. Quo ad *affectus animi mæror & terror* febrem producere possunt, cum ab his humores inspissentur & coagulentur, præcipuè verò ira seu conceptum evomet illa virus, sive sepulti ignis adinstar inter cineres sese habeat, aperit fores generandæ febris; in ira quæ quasi brevis febris est, spiritus excalescunt, motusque humorum efferatur.

Causarum remotiorum ex rebus præternaturalibus præcipua est cacochymia seu illa sit acido viscosa, seu biliosa, quid quod & vermes suum hic contribuant, *Forestus* enim annotavit *lib. 7. observ. d. symptom. febr. puellam*

ellam novennem febricitantem ex vermibus, quibus
adhibitâ aloë ejectis, mox desit ipsa febris.

§. VII.

*Symptomata febris intermittentis, quæ simul
signorum naturam induunt.*

Signa alia sunt *antecedentia*, alia *concomitantia*,
essentialia, *inseparabilia* & *propria* quarto modo, *pa-*
thognomonica, alia *consequentia*. Signum diagnosticum
omnis febris in genere *pulsus* celerior & *calor* est, in-
termittentis autem intermissio & tempore certo re-
gressio, sed continuæ continua duratio, licet remis-
sio quædam adsit, signum est. Ut totum febris no-
stræ processum enarrem, præcedit sive tragædiæ fe-
brili præludit *tensio* quædam, quæ quid de spasmo par-
ticipat, & vel maximè observatur in spinali medul-
lâ, regione lumborum; tensionem sequitur crebrior
pandiculatio, das Dehnen/ Ziehen und Spannen im Rücken
und Gliedern/ Krampff-Reisen im Rücken/ *lassitudo* totius
corporis, ut & *oscitatio*, his alterationibus se immiscet
livor ungvium, *palpitatio labiorum*, *stridor dentium*, *ma-*
xillæ inferioris tremor, *narium* & *aurium pallor*; non de-
est *horror*, *rigor*, vel *levis horripilatio*, apud plerosque
frigus magnum, apud aliquos verò exiguum & tolera-
bile *frigus*, *horror* autem, *rigor* & *frigus* gradualiter dif-
ferunt secundum magis & minus: sed calor inde se-
quens duplo major fuit, & gravissimè vexavit æ-
gros, frigus autem & ipse calor, quæ invicem exci-
piunt sunt de essentia febris intermittentis, cum in
continua febre calor absque frigore ludat suam sce-
nam.

nam. *Rigoris* causam ingeniosè pro more suo quærit celebris per ignem Philosophus *Helmontius* in horrote & consternatione Archei, eamque insequente horripilatione; alii spasmi speciem dicunt, qua venarum tubuli capillares constricti liberum sanguinis ex arteriis transitum & regressum ad cor ceu fontem quadantenus impediunt, unde regurgitante eo ipso ad arterias cordisque sinistrum sinum pulsationes crescunt: sed clarius *Hoffmannus* Celeberrimus Halensium Professor rigorem ab influxu sanguinis impedito ad partes extremas deducit. Impeditur autem ille influxus, si particule volatiles in sero coagulato & in crassato hærent & quasi involvuntur, vel ab acido concentrantur, unde ob motûs intrinseci defectum faciliùs ab externo aère & frigore afficiuntur, à quo fibræ membranose se contrahunt, horripilatione afficiuntur. musculisque in consensum tractis, atque levi concussione & convulsione contractis non tantum cutis, panniculus carnosus, vel muscoli rigore molestantur, sed etiam ligamenta, membranæ, tunicæ ventriculi & intestinorum, imo membra & viscera quædam, ipsumque fortè cor tremulo motu concutiuntur, ut loqui amant *Schelhammerus* & *Rosfincius*. Durat autem illud frigus & ille rigor tamdiu, donec spiritus hoc est particule sulphureo-salinæ prius incarceratæ contrahendo se extricent, aliisque grossioribus particulis subjugatis à centro ad peripheriam expansivâ sua rarefactione se extendant, unde ob varium illarum motum primò intestinum, dein progressivum, calor ille præternaturalis & febrilis exoritur. *Horripilatio* fit

C

strictu-

strictura cutis, quæ exquisitissimo sensu pollet, & omnium consensu tactus organon est, ubi pori laxiores contrahuntur, inque tubercula cutis attollitur, ut anserina solet; vasa, quæ valde tumida & plena, sanguine turgent, disparent, detumescunt, inde horripilatio in partibus extremis, inde cutis superficies quæ antea mollis erat & glabra, fit aspera, tactu aspera, quam vulgò cine Gånse-Haut vocant.

Frigus in extremis partibus non modò dependet à deficiente sanguinis sufficientis influxu, sed & ejus motu intestino languidiori, uti calor subsequens dependet à motu auctiori intestino, ob particulas sulphureo-oleosas inter se motas, sed augetur à progressivo & circulari, cùm calor consentientibus nunc philosophis sit rapidissimus motus particularum sulphurearum, sicut è contrario quies illarum condensatio, constrictio, congelatio. Calor natus, qui alias blandior esse solet, hic vertitur in igneum, unde etiam *Galenus* febrim definit per intemperiem calidam per totum corpus diffusam. Calor ille febrilis intensior haudquaquam differt ab alio, nisi quò ad gradus naturali superadditos, proinde in paroxysmi febrilis principio prævius est horror, sequitur calor improbus, æstusque in statu, in solutione sudor coronat opus febrile. *Pulsus* præternaturalis hoc est calerior & solito major, si ille causatur ab intra sine prævio motu vel calore externo, signum pathognomonicum est status febrilis in genere & individuus comes, originem debet motui sanguinis præternaturali hoc est citatorio, & indicat motum majorem progressivum, quo natura

tura materiam febrilem ex corpore humano expellendam aggreditur. Pulsus aliàs in genere est arteriarum diastole ab impulso sanguine per cordis ventriculi sinistri in aortam systolen, corde autem in systole constituto, arteriæ semper sunt in diastole, & vice versâ,

s. VIII.

Reliqua Symptomata Febris considerantur.

Urine mutatio ab eodem sanguinis motu intestino aucto turbatoque oriri videtur, dum hæc continuo sanguinis per arterias emulgentes in renum substantiam impulsu per solam renum vasculoso glandulosam texturam in illis se- & excernitur: glandulæ enim renales sunt organum urinæ secretorium, tubuli autem fibrosi glandulis his continui porosi maximam renum compagem constituentes sunt organum excretorium. A particulis itaque se & excretis colorem consistentiam & contenta urina accipit, v. g. urina rubra & intensè tincta est talis ob particulas sanguinis salino-sulphureas uberias per calorem dissolutas: Urina turbida & lutosa cum multo sedimento est talis ob particulas mucosâs terrestres à massa sanguinea sequestratas. Hinc de sanguinis massa, viscerum constitutione naturali & p. n. illarumque in sanguine particularum constitutione judicari potest.

Appetitus prostratus, ciborum fastidium, nausea, sapor in ore nauseabundus morbozæ materiæ in stomacho habitantis certissima signa, quam materiam corruptam vomitus aliquando sua ejectione oculis offert,

ſaporeque deteſtabili naſeabundo & bilioſo ægros in hæc verba erumpere facit; es war die flare Galle die ſie übergeben. Vomitu peracto ceſſat nonnihil anxia moleſtia circa præcordia, ventriculi & inteſtinorum gravatio, & æger ſublevatur, cum dicunt, es wäre ihnen wie ein Stein auf den Magen gelegen.

Clamoſa ſitis & lingue ariditas caloris & ſiccitatis ſoboles, naſcuntur ob nimiam ſeri deſſagrationem & ab obſtructis glandulis ſaliyalibus paucioſem ſalivæ generationem; hinc abſumptâ ibidem humiditate ſitis excitatur, fauces & lingua exſiccantur, ac quodammodo exuruntur.

Reſpirandi difficultas deducitur à tardiori ſanguinis per pulmones motu, ob moleculas febriles ſanguinis tranſitum remorantes, non ſine graviffima præcordiorum anxietate.

Cephalalgia intenſiores fiunt propter irregulares fibrillarum agitationes à calore & violentas arteriarum pulſationes, alluſionesque ſanguinis ad membranas cerebrum ambientes, ut & a ſanguine plus minus grummoſo in vaſis capitis & in ſpecie duræ matris hærente, unde ob vaſa dilatata ejus duplicatura quoque divellit, & ideo neceſſario ſequuntur capitis dolores.

Vigilia & deliria febrium continuarum typum referentia, mentis ſint intermittentes, debentur turbatis & magis exagitatis ſpiritibus à motu inordinato, ut illi blande ſopiri & ſomnus induci nequeat.

Corporis inquietudo, ſæpius eſt à calida & acri materia muſculofas partes vellicante & moleſtan-

te,

te, quam postea subsequitur ingens corporis lassitudo.

De Vomitu adhuc notandum venit, quod in hac febrî epidemicâ vomitus spontaneus cum euphoria ægri primam januam aperuerit febrî, & paroxysmos reddiderit breviores, qui verò non vomuere, illi diarrhæam passi sunt: quia in rigore febrili membranæ totius corporis convelluntur, quare & ventriculus cum sit pars valde nervosa, convulsione affectus est, & proinde spasmo seu motu peristaltico inverso contractus, quidquid in sinu suo fovit, sursum ejecit, quod si præterea primæ viæ bile turgeant, etiam eodem viscerum spasmo bilis meatu felleo in duodenum exprimitur, & in ventriculum exantlatur, ibique suâ ferociâ terriorem adhuc vomitum provocat, vel diarrhæam, utpote clyster naturalis promovet.

§. IX.

Quædam circa typum febris tertianæ examinantur.

Hic gladio Alexandri opus est, ad varios difficilesque nodos circa typum tertianæ variantem solvendo.

Queritur enim primò, unde accessionum febrilium æqualitas & inæqualitas? Respondetur, quod dependeat ab æqualitate vel inæqualitate causæ materialis, quæ modò pauca, modo multa fuit, hinc determinatum redeundi tempus quasi ad clepsydram in exquisita tertiana est, ubi nec dimedium horæ postponit vel anticipat febris, quod materia febrilis ab

errore diætetico, alimentis vel medicamentis veletiam animi affectibus ita compleatur, ut adæquatam & completam dosin acquirens pro accessu exacerbetur, & adæquatam periodum fervet, quin etiam post plures paroxysmos aliqualis consuetudo introducatur. Qui largius comedunt, paroxysmum anticipant, secus si minime, imo præcavetur abstinencia, quæ uti multorum morborum sæpè februm medicatrix est.

Quæritur secundo, quare paroxysmum sequatur intermissio? ad hanc altioris indaginis quæstionem respondet acutissimus *Willisius*, materiam morbificam uno paroxysmo omnem diffuari, adeoque, donec nova substituatur, acquiescere & *ἀνωπείσθαι* fieri. Alii volunt, à natura causam morbificam ex corpore eliminatam vel per vias urinarias, vel per poros cutis, vel per utramque portam simul, & licet non omnis sit ejecta, sufficit, dicunt, si suo sit fraudata genio, & capitis mortui instar effæta reddita, vel ex massa sanguinea præcipitata, ut loquuntur chymici, quod videmus ex urina tempore *ἀνωπείσθαι*, quo die homo adhuc febris laborare dicitur, uti calculosus talis dicitur, etsi actu calculi non laboret; hæ duæ opiniones faciliè combinari possunt.

Quæritur tertio, quare paroxysmi redeant? responderi potest, quia non omnis materia febrilis in uno paroxysmo subacta & expulsa fuit, unde relicta & postea aucta denuo caput effert, novique causa est paroxysmi. Demum quod paroxysmi breviores vel longiores quo ad vehementiam vel durationem seu quo ad intensionem & extensionem sint, in causa est materia tenacior & acidior, minusque subigibilis, paritatem

tem habemus in ligno sicco quod citius deflagrat, quàm viride.

S. X.

Prognostica signa ex febris hac epidemice grassante.

Quo ad *prognosis* februm omnium intermittentium, rectissimè docuit, *Hippocrates aph. 43. sect. 4. quocunque modo febres intermiserint, periculum abiisse significant.* Hoc est, nulla febris intermittens quâ intermittens est admodum periculosa seu lethalis, nisi cum visceris alicujus insignioris vitio sit conjuncta, vel aliud quid acciderit. Si verò diutius durent, cachexiam, hecticam, icterum, scirrhos viscerum, lienis tumorem & tandem hydropem post se relinquunt, aliquando autem hæc nostra febris grassans abiit in continuam, si male tractata fuit, quæ non vacavit periculo. Alias in genere omnis intermittens bona est, si desinat sudore vaporoso naturali, quo sæpe febris sibi relicta solvitur absque medicamentis. Febris stata hora rediens diuturnior est illa, quæ vel anticipat vel postponit, anticipatio animi illa & postpositio paroxysmi denotat materiæ febrilis mobilitatem. Febris brevior est æstiva quam autumnalis secundum *aph. 25. sect. 2.* & in juvenibus quam viris & senibus pro ut vult *aph. 34. sect. 2.* denique febris terminatur ad salutem excretionem vel critica & naturali per vomitum, sudorem & urinam crassam, item pustulæ circa os & alias partes erumpentes indicant morbi solutionem, vel artificiali. Tertia legitima teste *Hippocrate*

pocrate ad summum septem circuitibus terminatur, si nempe nec medicus nec ipse æger errorem committat. Inter febres intermittentes pessima est quartana, quæ duræ cervicis, & medicorum scandalum, hinc memini me legisse, in quadam domo febres omnis generis fuisse depictas, quæ singulæ coram adstante medico genua flectebant, excepta sola quartana, quæ partes posticas obvertebat, & se medicorum consilia & auxilia ægro communicanda flocci pendere significabat.

§. XI.

Divisio & differentia distinctiva febris hujus tertianæ ab aliis.

Ex signis sequitur divisio & distinctio: sic febris tertiana alia ratione generis est *mitis* alia *intensa*: Alia ratione causæ *exquisita*, *vera*, & *legitima*, quæ stata intervalla strictè observat, & de tertio in tertium accurate movetur habetque unum diem intermissionis, caloremque frigore longiorem: Alia *spuria*, *notha*, quæ simplicem febris tenorem non servat, & omnia febris tertianæ exquisitæ requisita non habet, alia *duplex* vel *triplex*, quando eodem die bini vel alternis diebus singuli, vel uno die bini, altero unus, vel quandoque uno die terni paroxysmi revertuntur & remittunt in proportione sibi respondententes. Alia est ratione originis *per se veniens originaria*, alia *symptomatica* aliis morbis superveniens. Alia ratione temporis *æstiva*, alia *hyemalis*, *autumnalis*, *vernalis*.

Quo ad differentias distinctivas. Differt hæc nostra

stra febris à *continua* quia interjectam habet pausam non continuo affigit, sed per certa intervalla alternis tantum diebus rediens, unam diem matrem habens, alteram novercam, *continua* vero ob caloris continuitatem sic dicta tempora habet remissionis & exacerbationis sed non intermissionis. Distinguitur ab aliis febribus intermittentibus ratione typi & paroxysmorum intervalli, à *quotidiana* quæ singulis diebus suam tragœdiam ludit, à *quartana* quæ post bidui inducias semper quarto die cum natura duellum reciprocatur. Distinguitur a tertiana vulgata & sporadice affigente, quod adinstar contagii plures indifferenter aggrediat, & in integras familias sæviat.

S. XII.

Cura febris tertianæ intermittentis secundum methodum medendi.

Cognitis signis & causis ultro resultat methodus medendi. Indicationes curatoriarum sunt, ut motus febriles à natura ad expellendam febrilem materiam instituti non impediuntur, minus tollantur, cum multi sola naturæ *avengantia* sine medicamentis fuerint restituti, sed a rationali therapia ad faciliorem materiam illius eliminationem disponantur & promoveantur, deinde cruditates ventriculi & intestinorum, unde materia febrilis, corrigendæ, correctæ evacuandæ, & quidem per evacuantia purgantia, diaphoretica & diuretica, ut materiam febrilem generatio impediatur, & obstructions hinc inde in visceribus factæ referandæ. Si materia illa febrilis sit crassior & tenacior, diluatur sero potuque sufficienti, si lentior & viscosior digeratur & abstergetur ante evacuationem per *Salia*

D

eni-

enixa v. g. per tartar. vitriolat. sal. armonic. depuratum, arc. dupl. Myns. vel per salia amara fixa, ut sal ab. synth. cent. min. card. ben. fumar. vel per sal. salsa ut Nitr. depurat. & antimoniat. Verisimulus canon est in schola medica, sublata causa tollitur effectus: Adeoque si causa materialis sit adhuc in primis viis in ventriculo ejusque plicis affixa cum nausea, evacuetur hic per purgantia, si vero jam in sanguine, particulæ heterogeneæ febrificæ ejiciantur per diaphoretica & diuretica. Proinde die ^{antimoniat.} præmissis communiter digestivis seu materiam in primis viis hærentem debite præparantibus ab evacuantibus & quidem vomitoriis inchoanda cura, præsertim in principio, in specie, si symptomata ventriculi cardialgia & anorexia cum oris amaritudine sint conjuncta, si natura videatur inclinare ad vomitum, & cacochylia malignitati prævaleat, his enim saburra excrementorum viscosorum ventriculo vicinisque partibus impactorum per breviorẽ viam ejicitur, & medicamentis febrifugis via sternitur. Vomitoria teste *Helmontio* & experientia tantum utilitatis habent, ut *Fonsæca sect. 4. aphor. 4.* solo vomitorio febres intermittentes communi more affligentes, solvi scribat, ut *Saxonia* vomitione se nihil præstantius invenisse asseveret, ut *Freitagius in aurora medic. p. 27. & 144. & seq.* observaverit sola *antimon. vitrificato* vel cum Nitro calcinato in crucibulo, in paroxysmorum initiis, aut paulo ante insultum exhibitio, fausto & celeri successu curatos: verbo multi vomitum vocant radicem curationis, quia herbam cum radice evellit. Præmittenda itaque sunt digestiva sive febricitatem ^{visu xij. n. d. v. u.} purgare velis, qualia sunt, ocul. cancr. conch.

conch. tartar. vitriol. mat. perl. crem. tartari crystall. tartar. arc. dupl. ut & sal absynth. junip. card. ben. cent. min. quæ simul specifica antifebrilia, hæc præmissa immorigeros ad faciliorem evacuationem optime disponunt.

Inter vomitoria hic merito militant tartar. emet. sal. vitrioli Asarum & rad. hypecacuanh. quæ debite præparata & iusta in dosi cum crem. tartar. vel tartar. vitriolat. vel sale absynth. vel cum pauxillo sacchari sunt in vehiculo congruo propinanda.

Purgantia non sint drastica, massam enim sanguineam nimium turbant, & corpus insigniter debilitant, sint ergo v. g. Fibra helleb. nigr. fol. jenu. Rhah jalapp. mechoae res. scam. jalapp. antim. diaph. non es dulcoratum pulv. Cornachimus seu cerberus triceps ex crem. tartari antim. diaph. & res. scamon. it. extr. panchym. croll. helleb. n. MP. tartar. Quercet. mercur. dulc. qui in resolvendo viscido, referendisque obstructionibus optimus est. Ex his purgantibus variæ formulæ poterunt concinnari, infusa laxativa antifebrilia præparari, pilulæ vel boli formari, vel pulveres adornari.

His succedunt diaphoretica, quæ februm panacea sunt, in his una salus & certa solutio febris, quia misasmata in massa sanguinea hinc inde latentia motu auctiore artificiali ex corpore promoventur, & ita omnis cardo curæ vertitur in se- & excretionem, cum crisis in febribus, quæ per sudores terminatur, longe celeberrima, per consequens naturæ succurrendum, & remedia sudorifera ait Helmontius in & extra paroxysmum adhibenda; sudor, ut vult Tulpus in suis aphorismis medicis, universalis præcedens febris inter-

mittentis accessum, morbum ex toto solvit. Poterunt ergo sequentia sola, vel aliis antifebrilibus mixta usurpari. v. g. C. C. phil. ppt. antim. diaph. cinnab. antimon. nat. bez. min. mart. flor. sal ammon. mart. sal. fumar. card. ben. cent. min. viperar. laudatum à Galeno it. MR. simplex. & omnes aque diapnoicæ, quæ vehiculi instar servire poterunt.

Nec diuretica hic negligenda, quæ serosas biliofas particulas ex massa sanguinea abstergendo per vias urinarias præcipitant & educunt. Ut sunt salina resolventia pleraque simul diuretica & diaphoretica ut spir. sal amm. antifebr. notus spirit. fulig. fl. sal. amm. simpl. & mart. it. salia fixa sal absynth. scord. cent. min. fumar. card. benedict. ononid. petroselin. fraxim. ocul. cancr. crem. tartari TR. tartar. &c. ex quibus variæ formulæ cum aquis diureticis & syrupis possunt cocinnari.

Materia febrili partim evacuata partim correctâ propinanda sunt deobstruentia, glandulas referantia, fibrarum tonum roborantia, qualia sunt dicta stomachica, amara, aromatica & martialia, quæ acidum potenter invertunt, & viscidum egregie penetrant atque resolvunt. v. g. absynth. cent. min. fumar. card. ben. rad. gentian. pimpinelle vincerox. zedoar. L. sassaf. chin. chin. it. elix. ppr. f. acido Elix. vitrioli Myns. Ess. absynth. comp. Wed. sic & sequens essentia egregium usum hucusque præstitit in praxi &c. Rad. gentian. aristol. rot. imper. calam. aromat. ar. belen ana unc. sem. herb. card. b. pentaphyll. plantag. summit. absynth. cent. min. fumar. ana Miß. flor. hyperic. Mß. nuc. mosch. xinz. alb. piper. long. unc. sem. C. C. affund. spir. comp. de absynth. cent. min. card. b. q. s. sicut

*Mixt. stent in digest. p. 14. dies. add. potest v g. Essent. hu-
jus libr. ℞. MR. simpl. vel TR. bez. Elix. ppr. ana unc.
iij. Ess. martis cum spiritu vitrioli phil. ppt. unc. ij. dosis
gutt. 70. 80. Inter specifica antifebrilia sunt recensenda arc.
dupl. Myns. seu sal. duplicat. Holsat. sal. antifebrile Myns.
salia amara absynth. cent. min. card. b. fumar. it. conch. mat.
perl. quæ basis est pulv. antifebril. Timæi. specif. antifebril.
Croll. rad. plantag. laudatur specificè.*

Specificum antifebrile electuarium laudatur se-
quens. ℞. Conf. cent. min. unc. ij. ras. lingn. colubrin. cort.
fraxin. chin. chin. ana drachm. ij. specif. antifebril. Croll. an-
zim. diaph. mart. ana drachm. i℞. bez. min. regul. antimon.
medic. arc. dupl. ana drachm. extract. febrifug. alcalin. unc.
℞. ol. caryophill. scrup. ℞. syr. cort. aur. q. s. M. F. Elect. dos.
cusp. cultri.

Herculeum medicamentum china chinæ non pro-
pinatur, nisi expurgatis primis viis, sed melius in
infuso vel essentia quam in natura.

Externa febrifuga sunt, camphora in pe-
tia ligata & ex collo suspensa, vel simile amuletum
conficiunt ex nuce avellana cui araneus vel mercu-
rius vivus inclusus. Varia etiam parat peria-
pta plebs superstitiosa, inter quæ sigilla, characteres,
verba annulis inscripta, imprecationes aniles, sed il-
licita sunt remedia, quamvis caelestibus animentur
votis, infernalibus tamen sordent influentiis, sanatur
caro, ut in præmium cedat anima: Hinc pulchrè ait
Asarius à cruce, syrupi & apozemata sunt medicine homi-
num, verba characteres demonum. Quint. Seren. dicit:

Multaque præterea verborum monstra silebo,

*Nam febrem vario depelli carmine posse,
Vana superstitio credit.*

§. XIII.

In febre intermittente servanda diæta.

Si ullis in morbis certè in febribus observanda commoda victus ratio, sine qua exigua curationis spes est, & vix aliquid stabiliter efficient remedia etiam selectissima, ægri obedientia, medici experientia, & specifica remedia totam rem faciunt.

Aer sit purus, & quantum fieri potest temperatus, vitetur crassus, frigidus & humidus, subin aer mutandus, qui solus multos restituit.

Cibi sint concoctu faciles, non saliti nimium, abstinentum est ab omnibus acris acidis, viscosis, crudis, dulcibus, saccharatis & quorum facilis est transitus in bilem, præstat ante paroxysmum parum vel nihil edere, cum experientia doceat, multos inedia curatos inquit etiam *Cons aph. II. sect. 1. in exacerbationibus abstinerere oportet.*

Potus sit cerevisia tenuis, optimus est potus calidus Thee vel ptisana hordeacea.

Motus & quies, somnus & vigilia temperata sint excessus & defectus nocent, itaque justis mensuris distribuuntur.

Alvus teneatur aperta ut & alia natura emunctoria.

Animi pathemata supra lunæ spheram mittantur, ibi semper serenum; nulla fuit felicior cura & constantior quam ubi animus æquanimus.

Et

Et hæc sunt, quæ pro ingenii mei modulo de hac
febri intermittente adducere volui : DEO Ter Opti-
mo Terque Maximo immortales ago gratias, pro ha-
ctenus immensa in studiorum meorum cursu concessâ
gratia, ipsi sit Honor & Gloria per infi-
nita secula.

F I N I S.



INSTITUTIONS
The first part of this work is a history of the
Institution of the Order of the Garter, and
the second part is a description of the
Order of the Garter, and the manner of
its institution.

THE HISTORY OF THE ORDER OF THE GARTER



LONDON: Printed by W. Baskett, at the Theatre, in the Strand, 1719.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

- A 1 Red
- G 2 Green
- B 3 Blue
- M 4 Magenta
- W 5 White
- G 6 Gray
- K 7 Black
- C 8 Cyan
- Y 9 Yellow
- M 10 Magenta
- B 11 Blue
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16
- 17
- 18
- 19



Centimetres
TIFFEN® Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007

- Blue
- Cyan
- Green
- Yellow
- Red
- Magenta
- White
- 3/Color
- Black



Inches
1
2
3
4
5
6
7
8